



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

De Acedia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

alios vehementius incendat.

TERTIVM est: Statim vt nos commotos deprehenderimus, aliquid agendum arripere & mentem occupare, vel cū alijs colloqui, aut aliquid operis agere: Etenim Salomone teste: *Cū defecerint ligna, extinguetur ignis.* Prover. 26.

QVARTVM est: Pudor siue confusio, qua modesti & verecundi plerumque retinentur, quia metuunt, ne scandalizent proximos.

QVINTVM est: Expendere ingentia damna quæ secum adducit hoc vitium, quorum non minimum est, quod hoc versu continetur.

Impedit ira animum, ne possit cerneve verum.

DE ACEDIA.

ACEDIA triplex est. *Prima* est amaritudo quædā animi, qua quis laborat, omnia quæ alijs iucunda & appetibilia sunt aspernatur: tædio conficitur: omnemque humanam conuersationem fastidit: De hac tristitia ait Apostolus. *Seculi 2. Cor. 7.*

H 6 autem

autem tristitia mortem operatur.

Secunda est: Pigritia quædam siue negligentia, somnum & corporis commoda diligens, labores horrës, aspera & dura fugiens, otioque plurimum gaudens. Hæc propriè vocatur pigritia.

Tertia est: Quæ res diuinas atque spiritualia exercitia tantùm fastidit, in alijs verò sollicita & diligens est, externisquæ magnoperè oblectatur: Oratio illi est insipida, diuinas laudes cursim persoluit, vt minus inde fastidium sentiat: & aliquando data opera cogitationes alias accersit, quibus tædium sibi tollat, seu minuat: iocis, risibus, nouis rumoribus, alijsquæ leuitatibus intendere delectabile ducit: Laudare verò Deum, & de rebus diuinis agere maximè fastidiosum.

Acedia magna est, negligenter ea, ad quæ obligati sumus, persolueret: Maior, præ tædio ea omninò dimittere: Maxima, alios etiam impedire, nec posse sustinere vt aliquid boni operis agant.

media